









1706.

1. <sup>1946</sup> Geierus, Horianus: De censibus promobilibus. 2. exempl.  
1706 & 1715.
2. <sup>1947</sup> Brucherus, Guilelmus Hieronymus: De Romani Imperatoris  
majestate praecipue reali et personali. 2. exempl.  
1706 & 1757.
3. Ploerckius, Henricus Ernestus: De jure exactione  
tertia quaesito
4. Friesen, Joh. Bernhardus Facult. jurid. decanus: Programma  
Inaug.: De dominio revocabili (lectioni auspicali Johanni  
Gualteri Decani praemissum)
5. Friesen, Johannes Bernhardus, Fac. jur. decanus: De cessione  
actionis revocatoriae fundalis.
6. Friesen, Johann Bernhardus: De sponsalibus sub  
juramento contractis non servandis.
7. Friesen, Johannes Bernhardus: De actione directa ubi  
ac contraria.
8. Friesen, Johannes Bernhardus: De pacto dominium in centum  
ac venditione usque ad pretii solutionem reservante.

1706.

9. Biesen, Abemus Brunkenbus : De remissione delicti  
per transactiones. 16
- 10<sup>a, b, c</sup> Kressius, Dr. Pinter : De procuratoris obligatione,  
si fines mandati excedit proecipue qua credito-  
ribus tenetur, in processu satisfactionis. 4 Suppl. 17  
1706, 1746 : 1752.
11. Loeberus, Christianus : De fundamentis legum naturalium  
secundum disciplinam Socraticam.
12. Richardus, Bertholom. Christi truncus : Roman ante Ro-  
mantum conditam fuisse.
- 13<sup>a, b</sup> Stevartius, Dr. Philippus : De dominis revocabili-  
? 2 suppl. 1706 & 1739.
- 14<sup>a, b</sup> Strove, Friederus Gottlieb : De fructibus pendentebus  
2 Suppl. 1706 & 1750.
15. Nedelius, Georgius Wulffgangus, Fr. med. decanus :  
Propempticon in uny : De purpura et bysso. (ad usum  
labio non solum Caroli Augusti Laurentii invitat).

1706.

169, <sup>a</sup> Wildvogelius, Christianus, Collegii juris d'ni Decanus.  
De latere principis. Programmum inaug. (lectioni auspici-  
tatis Johannis Georgii Haselhuber praemissum) 2 Exempl.  
1706 & 1755.

179, <sup>b, c</sup> Wildvogelius, Christianus: De increpatione paterna  
3 Exempl.





G. 23. num. 18.

29.

587

18

DISPUTATIO IURIDICA INAUGURALIS  
DE  
**DOMINIO RE-  
VOCABILI**

1706, 13<sup>a</sup>

QVAM  
DIVINA ANNVENTE GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE AC MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE ET RELIQVA  
EX DECRETO ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE  
IN HAC ALMA SALANA  
PRAESIDE

**DN. IO. PHILIPPO SLEVOGTIO**

CONSILIARIO SAXONICO, ET ANTECESSORE, FACVLTATIS  
IVRIDICAE ET SCABINATVS SENIORE, NEC NON ILLIVS  
H. T. DECANO, CVRIAE PROVINCIALIS ASSESSORE  
PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE ET LEGITIME IMPETRANDI  
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVBMITTIT

**IO. GOTTLIEB IACOBS**

GOTHANVS  
AD DIEM MARTII ANNO MDCCVI.

LENAE; LITTERIS WERTHERIANIS.



8. 17. 1787

DISPUTATIO IURIDICA INAUGURALIS  
DE  
DOMINIO RE  
VOCABIL

CAUSA  
DIVINA UNIVERSITATIS GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
MAGISTRO PRAEPO. AC DOMINO  
DOMINO

GOTTILMO HENRICO

DOCT. JURIS ET LEGUM  
MAGISTRO ET IURISCONSULTO  
IN HAC ALMA UNIVERSITATE  
PROFESSORE

DR. JO. PHILIPPO STEVOGTO

CONSEJERO DE LA UNIVERSIDAD  
Y DE LA FACULTAD DE LEYES  
Y DE LA FACULTAD DE CIENCIAS  
PROFESOR

EXAMINADO EN SU GRADO DE LICENCIADO  
EN LEYES Y LEONARDO DE LEONARDO  
PLACIAS BRAYDOLAM DISOYNTOM

JO. GOTTILIB JACOBS

GOTHA  
AD DIEM MARTII ANNO MDCCCLXXXVII  
JENAE: IN AEDIBUS WETTERIANIS





Q. D. B. V.

§. 1.



Nte omnia hominum conuenta re-  
rum quarumlibet communionem fu-  
isse, i. e. res omnes fuisse in medio po-  
sitas, & non magis ad hunc quam ad  
illum pertinuisse, sed vacuas extitisse,  
quæ deinde occupanti cedebant, manifestum est.  
Verum cum res nullum hominibus præbeant v-  
sum nisi fructus illarum apprehendantur, occu-  
patione necessaria erat. Quæ quia frustranea & nul-  
lius plane momenti est, si, quæ in usum no-  
strum destinavimus, ab aliis impune & quando-  
cunque eripere liceat: inde inter mortales pactum  
tale initum intelligitur, vt, quod quisque ex rebus  
in medio positis apprehendisset, sibi acquireret,  
nec ab altero eriperetur. Quo etiam pertinet  
*l. 1. §. 1. de A. V. A. P.* Hinc factum, vt quivis res  
quiete possideret, atque ita res distinctas & appre-  
hensas sibi acquirens suas omnino faceret, fructus  
ex iis perciperet, & libere de iisdem disponeret;  
quod ipsum ius singulare ex iure gentium origi-  
nem

A 2

by

§(4) §

nem trahens nomine domini deinde venit *l. 5. de J. & J. §. 2. l. de J. N. G. & C. §. 11. l. de R. D.* vid. Pufendorf. *d. J. N. & G. l. 4. c. 4.*

§. 2.

Non autem vna atque eadem semper est domini significatio, sed varie pro subiecta materia accipitur. Et quidem denotat vel ius personarum *l. 215. de V. S. l. 8. de B. P. S. T. l. 195. §. 1. de V. S. l. 1. §. 2. de R. V. c. 11. X. de presunt. c. 45 pr. de appellat.* vel ius rerum, quod itidem multa sub se complectitur. Aut enim ita accipitur, vt tam de iuribus in re, quam ad rem dicatur, & ita obligationis etiam dominium constituatur, uti putat Henr. Wegner. *ad. I. D. 14. & Gæddeus ad l. 49. de V. S. n. 8. add. l. 22. 23. C. de procur. l. 2. C. per qu. pers. cuique acq.* vid. tm. Bachou. *ad Tr. vol. 2. Disp. 20. lit. k.* aut alias species iuris in re comprehendit, v. g. hereditatis *l. 19. §. 1. de castr. pec. vsusfructus l. 3. si vsusfr. pet. l. 8. pr. de R. A. J. P. l. 25. de O. & A. §. 15. l. de act. possessionis, Borcholt. tr. de possess. c. 6. n. 17. per l. 2. l. 4. C. de prob. l. 1. de B. P.* aut denotat certam speciem iuris a reliquis omnino distinctam. *l. 13. §. 1. C. de iud. l. 37. de A. H. l. 1. §. 1. & 2. ad SC. Silan. l. 13. §. 1. l. 19. de damn. inf. l. 22. §. 1. de nox. act. l. 44. §. 5. de vsurp. & vsuc. t. t. C. de iur. dom. impetr.* Hahn. *Dissert. de iur. rer. th. 36.* Ultima hæc significatio vera & propria est, secundum quam, omissis aliorum definitionibus (de quibus vid.

§§(5)§§

vid. Hahn. *ad Wes. tit. ff. de A.R.D. & V.G.Förster. tr. de dom. c. 4.*) dominium describitur, quod fitius in re corporali, quo quis de re ista potest pro arbitrio nomine proprio disponere vid. *l. 9. §. 3. de A.R.D. l. 9. de act. rer. amot. l. 21. C. mand. Vel: Dominium est ius reale in ipsam rei corporalis substantiam competens. Perillustr. L. B. de Lyncker Anal. ad Dn. Struu. Synt. J. C. Ex. II. th. 3.*

§. 3.

Illud dominium in se consideratum unicum est & numero & substantia *l. 14. §. 2. de exc. rei iud.* diuerfas tamen habet qualitates, vti inquit Gothofr. *ad l. 20. C. de pact.* atque proinde variis modis distribui potest & solet. Ita diuiditur in legitimum *l. 1. de fund. dot.* & prætorium *l. 1. de B. P.* in naturale, siue commune, & ciuile s. singulare, arg. *§. II. l. de R.D. l. 1. de A.R.D.* in plenum & minus plenum, in verum & fictum arg. *l. 4. de alim. vel cib. leg. l. 46. de usufr. l. II. C. de act. emt. l. 17. §. fin. de R. V. §. 4. l. de act. l. 136. de R. J. l. 48. de A.R.D.* quas singulas diuisiones cum explicet Hahn. *d. Diss. de iur. rer. concl. 38. seqq.* aliique Iuris Interpretes, iis non immorabimur; ad scopum propositum propius accedamus, illam diuisionem, qua dominium aliud est irreuocabile, aliud reuocabile, saltem addentes. Nimirum acquisitio dominii duplex est, alia perpetua, &

2011

ci.



§ 6

citra domini ipsius factum irreuocabili iure, quale  
dominium quilibet habet, qui rem sibi propriam  
iusto titulo & b. f. possidet, nec ad se semel  
translatam concedenti vel alii cuidam reddere te-  
netur: alia non perpetua, sed ex causa aliqua su-  
perueniente, quæ causam dominiū tollit, reuoca-  
bilis. Bachou. *ad Inst. quib. alien. non lic. in pr.*

§. 4.

Diximus, contingere aliquando, vt quis  
causam dominiū non perpetuam habeat, quod  
non ita intelligendum, quasi dominium, quod  
reuocabiliter quis habet, verum non sit, eique de-  
finitio dominiū supra allata non competat. Cum  
enim de substantia dominiū sit proprietas, seu esse  
propriū: etiam illud dominium, quod aliquando  
reuocabile est, h. e. abiturum ab eo, qui id modo  
habet, verum & rectum est dominium per. l. 66.  
*de R. V.* & quia reuocari posse dominio accidit,  
& minime inconueniens est, vt dominus aliquis  
sit, & ad restitutionem nihilominus teneatur.  
*Wesemb. ad §. 35. I. de R. D.* Hahn. *ad W. de A.*  
*R. D. n. 3.* Est hoc proprie sic dictum domini-  
um per d. l. 66. *de R. V.* & sub dominio vniuoce  
continetur, eosdemque cum vero dominio effe-  
ctus habet. Quamdiu enim durat, nec causa existit,  
propter quam reuocari queat, possessor rei ea tan-  
quam dominus vtitur, fructus ex ea perceptos  
suos

§. 7. §. 8.

suos facit, & tanquam dominus omnia peragit. At conditione, sub qua dominium translatum est, existente, vel causa, quæ dominium irrevocabile alioquin efficeret, cessante, cessat seu extinguitur etiam dominium, atque ad alium etiam citra domini voluntatem redit vel transit.

§. 5.

Multis autem modis euenit, vt dominium in aliquem translatum reuocetur. Reuocatur enim vel ex natura rei & propter conditionem, quæ ei inest: vel propter pacta iure valida a partibus adiecta: vel etiam ob culpam, aut delictum commissum, quæ efficiunt, vt pro indigno habeatur, qui rem amplius detineat, quare res ab eo revocatur, & ad priorem dominum reuertitur.

§. 6.

Agendum singula ordine examinabimus, primo loco perpendendi, quando ex rei natura dominium reuocabile sit. Fieri autem hoc non vna vice, aut in vna causa, ex sequentibus clarum euadet. Sic is, qui rem alienam, venditorem dominum, neque ei alienationem rerum suarum interdictam esse existimans, emit, vel ex donatione, aliaue qualibet causa b. f. accepit, fructuum dominus est, eosque consumendo instar domini sibi pleno iure acqui-

quirit, & ita lucratur, vt libere de istis disponere  
 queat, nec restituere teneatur, § 36. I. de R. D. §  
 l. 48. pr. ff. de A. R. D. etiam si ex iis locupletior sit  
 factus vid. Arn. Vinn. i. sel. qu. 26. Nec interest,  
 verum fructus sint naturales, vtrum industriales.  
 Ant. Fab. 4. Coni. 17. Hartm. Pistor. p. 4. q. 26.  
 Bona enim fides facit, vt possessor pro domino  
 omnino haberi debeat, l. 25. §. 1. de Vfur. & cætera  
 omnia, quæ dominis tribuuntur, eadem & b. f.  
 possessoribus tribuantur §. 6. I. de act. §. 1. de  
 publ. in rem act. §. 3. I. per. quas pers. cuique acqu.  
 & in genere b. f. tantundem præstat quantum rei  
 veritas, quoties lex impedimento non est ceu ait  
 JCtus in l. 136. de R. F. At extantes non omnino,  
 perfecte & absolute, citra metum auocationis,  
 sed reuocabiliter saltem &, vt Paulus l. 48. de A.  
 R. D. innuit, interim, quam diu scil. res non euin-  
 citur, & b. f. durat, suos facit. Nam hac extincta  
 & possessore sciente, rem alienam se tenere, re-  
 uocatur dominium fructuum, & fructus omnes,  
 qui adhuc extant, & consumti non sunt, vero  
 domino superuenienti redduntur. Possessor ete-  
 nim tunc nullam habet causam, cur fructus apud  
 ipsum sint, tanquam rei alienæ pars & accessio,  
 sed causâ & ius illius incipiunt cessare: sublato  
 autem iure, quod in solo habebat, fieri nequit, vt  
 fructus acquirat; & vt b. f. possessor esse desinit,  
 ita



§§ (9) 58

ita quoque ei denegatur fructuum acquisitio. Ad hæc, quod sub conditione demum alteri perfecte acquiritur, id conditione deficiente ab eodem reuocari poterit. *l. 44. §. 12. de cond. & demonstr.* sed fructus demum sub conditione, nimirum si consumti sint, perfecte b. f. possessori acquiritur *l. 4. §. 2. ib. si eos consumsit. Fin. reg. l. 4. §. 19. de vsucap.* quare si non consumti sint, quasi deficiente conditione poterunt reuocari: quomodo in §. 36. *I. de R. D.* dominum superuenientem de consumtis agere non posse disponitur; & ergo per manifestam consequentiam inferri potest, b. f. possessorem fructus extantes omnes, qui consumtis opponuntur *l. 3. C. de cond. ex L. domino restituere debere.* Quam ob causam in *l. 48. de A. R. D.* b. f. emtor loco domini *pene* esse dicitur: ut igitur fiat Dominus plene, necesse est, ut prius tollat voculam *pene*, quod facere potest vel per vsucapionem *l. 48. §. 5. de furt.* vel consumptionem, *l. 4. §. 19. de vsucap.* quod pinguius est remedium atque expeditius. Imo si postquam percepisset fructus, antequam eos consumeret, intellexerit, fundum esse alienum, & dominus ante superuenerit, quam vsucapio potuerit impleri, obstrictus erit fructus ita consumptos restituere. Neque sufficit, quod percipiendo, cum adhuc nesciret, fundum esse alienum, dominus

B

fru-

fructuum factus est: etenim dominium, ut diximus, est reuocabile, quod quia per consumptionem fit irrevocabile, oportet in consumptione quoque adesse b. f. vid. Vinn. ad §. 36. I. de R. D. Bachou. ad Tr. Vol. 1. Disp. 15. th. 11. lit. e. f. Fachin. 1. contr. 57. Couarruu. var. resol. l. 1. t. 2. c. 3. n. 7. Balb. de prescript. p. 3. part. princip. qu. 7.

§. 7.

Dotis titulus seu causa est ad dominium transferendum habilis, non minus, quam venditio, permutatio, donatio §. 40. I. de R. D. nisi enim hoc esset, mulier, rem alienam tradens ex causa dotis, usucapionis facultatem non transferret, nec marito amissa possessione daretur actio Publiciana. l. 13. §. 1. de Publ. in rem act. Maritum itaque hoc pacto haberi pro domino, vel vere esse dominum rei dotalis, ut est dotalis, tot locis proditum est, ut de eo dubitandum minime sit. l. 7. §. 3. de iur. dot. l. 1. §. 1. l. 13. §. 2. l. 4. 7. §. ult. de fund. dot. l. 13. C. de iur. dot. Arguunt etiam dominium effecta iuri dominico propria, qualia (ut taceamus perceptionem fructuum omnium tam naturalium l. 10. §. 3. de iur. dot. l. 17. §. 12. seqq. sol. matr. quam civilium. l. 7. §. 2. 10. 11. sol. matr. siquidem hi etiam usufructuario competere possunt) quod maritus solus rem dotalem vindicet l. 9. C. de R. V. l. 30. C. de iur. dot. servus



§§(11)§§

uus dotalis mariti iussu hereditatem delatam  
 adeat aut repudiet *l. 38. sol. matr.* seruum dota-  
 lem manumittat *l. 3. C. de iur. dot.* rem dotalem  
 aliquando alienet arg. *l. 21. C. mand. iunct. pr. I.*  
*quib. al. lic.* Recte igitur Græci in *Basil. 47. tit. 11.*  
*τῆς προικὸς ἐν τῷ γάμῳ ὁ ἀνὴρ κέριος.* Contra-  
 rium tamen multis ex LL. obiici solet: veluti  
 quod dos mulieris esse dicitur in *l. 75. de iur. dot.*  
*l. 24. §. 5. sol. matr. l. 71. de euct.* respectu mariti  
 aliena *l. 7. §. 12. sol. matr.* vxoris proprium patri-  
 monium *l. 3. §. 5. de minor. l. vn. §. 14. de rei vxor.*  
*act. l. 14. in pr. ad. L. Falc.* quod maritus in re-  
 bus dotalibus culpæ & doli nomine teneatur,  
*l. 17. de iur. dot. l. 6. de pact. dot. l. 24. sol. matr.*  
 quod, vbi fundus dotalis petitur, recte mulier  
 tanquam in rem suam fideiubeat, *l. 8. §. 1. qui sa-*  
*tisd. cog.* quod vxor ad effectum, ne satisficere te-  
 neatur, possidere fundum dotalem intelligatur,  
*l. 15. §. 3. d. t.* & quod in genere in dominio vxor-  
 is dicatur permansisse. *l. 30. C. de iur. dot.* Hinc  
 variæ ortæ sunt dissensiones, ita vt Donellus *14.*  
*Comm. 4.* rerum æstimatarum ac mobilium do-  
 minium asserat marito, inæstimatarum autem &  
 immobilium vxori. At enim certum est, res  
 æstimatas s. mobiles, s. immobiles plene transire  
 in maritum, ita vt etiam alienari queant, atque  
 ex hac ratione, quando matrimonio soluto dos

B 2

re-

restituenda, non res ipsa, sed pretium, eiusque  
 æstimatio reddenda sit, *l. 10. §. 4. de F. D. l. 5. §. 10.*  
*C. eod.* in quantitate autem consistentes seu fun-  
 gibiles haud secus ac in mutuo plene marito ac-  
 quirantur. *l. 42. D. d. t.* Nihilominus non li-  
 cet marito rerum inæstimatarum & immobilium  
 dominium denegare, cum etiam prædii domini-  
 um ipsum habere dicatur *pr. l. quib. al. lic.* imo  
 illius prædii, cuius alienatio L. Julia interdicitur,  
 dominus asseratur *l. 13. §. 2. de fund. dot.* Et licet  
 terminum extremum sc. alienationem maritus  
 non habeat in re immobili inæstimata, ex negata  
 tamen alienatione dominium negari non pote-  
 rit: alioquin de pupillo, minore & aliis dicen-  
 dum esset, illis rerum suarum dominium non  
 competere. Hoc forsân admittere possemus,  
 rerum æstimatarum ac mobilium plenum esse do-  
 minium ac magis liberum, rerum inæstimatarum  
 non adeo liberum, nec adeo plenum. Vulte-  
 ius in §. 40. *I. de R. D. §. 1. Discept. scholast.*  
*cap. 19.* existimat, maritum non rerum dotalium,  
 sed tantum iuris dominium esse. Verum a ra-  
 tione iuris nostri hoc alienum est. Etenim ma-  
 ritus non habet iuris, sed rei vindicationem *l. 9.*  
*C. de R. V.* res in dotem data mariti effici *l. 7. §. 3.*  
*de iur. dot.* & ejus dominium marito quæri dici-  
 tur

§(13)§

tur *l. 13. §. 2. de fund. dot.* & dotis datione domi-  
 nium mutari *l. 47. §. ult. de pecul.* (vbi cum aliis  
 modis & causis, ex quibus dominium transfer-  
 tur, titulus dotis iungitur) sicut & in *l. 3. §. 1. de  
 Publ. in rem act.* & omnino aut dominium, aut  
 conditio vsucapiendi marito quaritur *dd. text.  
 l. 1. & t. t. pro dot.* adeo quidem, vt etiam mortuo  
 marito, postquam ius eius expirasse videtur, præ-  
 dium dotale vna cum vniuersitate in hæreditatem  
 mariti transeat. *l. 1. §. 1. de fund. dot.* Quam ob  
 causam ex iuris veteris ratione non rei vindica-  
 tio, sed actio saltem personalis rei vxoria, siue  
 ex stipulatu, pro repetenda dote, vxori compe-  
 tit. Alii marito tantum dote vtendi fruendi  
 ius concedunt, inter quos est Vaud 2. *var. quest.*  
 3. & Joh. del Castillo *de vsufr. c. 4.* sed res ipsa,  
 non ius aliquod in re præter dominium, mariti  
 effici dicitur. Robertus 3. *sent. 18.* & 3. *animadu. 9.*  
 maritum dominum dotis esse, proprietatem au-  
 tem non habere statuit: qui ex eo refutatur,  
 quod, qui dominium ponit, non possit non ad-  
 mittere etiam proprietatem, cum hoc de forma-  
 li eius ratione existat, vt eleg. docet Dn. Strauch.  
*Diff. 6. th. 9.* & proprietatem non dominio, verum  
 vsufructui in vsu iuris opponi soleat. §. 1. *I. de  
 vsufr.* Omnia ita conciliari possunt, si dicamus,  
 maritum cunctarum rerum, siue æstimatarum,

B 3

siue

siue inæstimatarum, esse iustum atque verum  
 dominum, easque ad ipsum pertinere. Sed  
 cum dos determinata sit & restricta ad nuptias,  
 sequitur, quod his resolutis ius quoque mariti,  
 quod in dote habuit, resoluatur & abeat, domi-  
 nium, quod constante matrimonio in res dota-  
 les habuit, reuocetur, ac ad mulierem iure ipso  
 sine retrotraditione redeat. Hinc mulier *κατὰ  
 πρόληψιν*, siue per anticipationem, propter spem,  
 quam de recipienda dote habet, ex fictione iu-  
 ris translatiua de tempore futuro in præsens, vel  
 inspecto exitu, domina dotis vocatur. Cuiac. 10.  
 O. 32. maritus vero constante matrimonio domi-  
 nus, licet reuocabilis, nec perpetuus. Nam quod  
 dotis causa perpetua esse dicitur *l. 1. de iur. dot.*  
 id ad votum dantis referendum est, quod ea in-  
 tentione detur vt perpetuo apud maritum sit.  
 Coras. *l. 5. miscell. c. 14.* vid. Bachou. & Hahn *ad  
 Wesemb. de iur. dot.* Bachou. *ad Tr. Vol. 2. Disp.  
 7. th. 6. lit. C. Vinn. ad pr. l. quib. al. lic. n. 2. Mo-  
 lin. de J. & J. tr. 2. D. 126. n. 2.* Ex quo flu-  
 it, quod commoda, non vt fructus ex re pro-  
 uenientia, sed iure domini accidentia, non spe-  
 ctant irreuocabiliter ad maritum, sed eo solum  
 respectu, quo dos ipsa, ac finito matrimonio v-  
 xoris commodo cedunt. Si itaque thesaurus fu-  
 erit inuentus in fundo, quem vxor in dotem de-  
 dit,

§ (15) §

dit, in fructum non computabitur, verum pars eius dimidia restituetur, tanquam in alieno inuentus esset. *l. 7. §. 12. in fin. Sol. matr.* ibique Petr. Barbof. Similiter quod v. g. per alluionem accedit, emolumento mulieris est. *l. 10. §. 1. l. 75. de iur. dot. add. l. 4. l. 8. l. 10. §. 2. eod. l. vn. §. 9. vers. itaque C. de R. V. A.* ibique Brunnem. vid. Finckelthaus. *O. 118. Zæf. ad tit. de iur. dot. n. 20. Dn. Struu. Ex. 30. th. 13.*

§. 8.

Quod de dote dictum, idem obrinet in donatione propter nuptias, quæ a marito vel alio ejus nomine vxori fit in vicem, securitatem & remunerationem dotis. Constituitur per hanc vxori, absque traditione siue cessione, dominium quoddam §. 3. *I. de don.* (vbi inter modos acquirendi dominiū singulares refertur) siue peculiare ius in re donata. Vnde vxor eam a quouis possessore vindicare potest, *auth. permissa C. de don. propter nupt.* nec maritus istam rem alienare & oppignorare valet *auth. siue a me. C. ad SC. Vellei. l. vlt. cum auth. seq. C. de donat ant. nupt.* Rittersh. *p. 5. nouell. c. 1. n. 11.* cum quo dominio concurrat hypotheca, non quod fauore dotis tantum hoc sit introductum, sed quod quis in vna eademque re possit habere dominium ex singulari iure, & ordinatio siue comuni iure hypo-

§ (16) §

hypothecam ; vt in legatis l. 1. C. comm. de leg. in rebus dotalibus. l. 12. C. qui pot. in pign. l. 3. §. 5. de pign. l. 6. de relig. & sumt. fun. Attamen mulier fructus ex ea lucratur. Nam maritus fructus dotis percipit ob onera matrimonii, quæ sustinet; quæ ratio in muliere cessat: & ius vtendi fruendi effectus est dominii, qui abesse potest dominio recte constituto, vt in domino feudi & emphyteuseos videre licet. Neque etiam alienandi facultatem mulier habet: reedit enim, vel potius remanet donatio propter nuptias, matrimonio soluto & dote vxori salua existente, apud maritum, eiusque heredes. c. 8. §. sane soluto matrimonio X. de don. int. vir. & vx. nisi expressum pactum de donatione propter nuptias lucranda interpositum probetur, aut loci consuetudo contrarium velit. Schneidevv. ad. §. 3. I. de don. n. 1. Carpz. p. 2. c. 42. d. 1. Gudelin, de iur. nouiss. l. 1. c. 8.

§. 9.

Sæpe fit, vt debitore multis debitis onerato, creditores vrgeant solutionem eorum, quæ singulis debentur; quam vt impetrent, magistratus auxilium implorant, & si aliunde solui nequeat, res oppignorata vt subhastentur, rogant. Dum hoc magistratus permittit, liberum iure Saxon. est creditoribus, vt licent, siue reperia-

tur





§ 17)) §

tur alius licitator, siue non. Carpz. p. 1. c. 32. d. 51.  
 & si pinguior emtor haud reperitur, ac pretium  
 a creditore denominatum veræ æstimationi non  
 sit inæquale, pignus subhastatum adiudicatur. *Ord.*  
*Torgens. tit. von Feilbieten / Subhastation. &c.*  
 §. **Dieweilm aber auch.** *Ord. Proc. Judic. Elect.*  
*Sax. tit. 39. §. So sollen diese Ordnung* Andr.  
 Rauchbar. p. 1. qu. 46. n. 19. Hæc adiudicatio iudici-  
 alis rei subhastatæ, tanquam vere facta traditio,  
 plenissimum transfert dominium. Dan. Moller.  
*ad Const. Elect. 23. Petr. Heig. p. 2. qu. 17. n. 18. qu. 18.*  
 n. 9. & vt omne incrementum ad emtorem spe-  
 cter, efficit l. 7. ff. de per. & com. rei vind. l. 7. §. 1. de  
 A. R. D. l. 11. §. 6. de Publ. in rem. act. Specialiter ve-  
 ro indultum est debitori, vt intra annum ipsemet,  
 si velit, pignus redimere, vel pinguiorem emto-  
 rem offerre possit. dict. *Ord. Torg. & Proc. El. Sax.*  
 intra quod temporis spatium si realiter & absque  
 simulatione reuocatio fiat, dominium a creditore  
 reuocatur, & res per subhastationem olim vendi-  
 ta debitori redditur. vid. Carpzou. p. 1. c. 32. d.  
 66. seqq.

§. 10.

Quando liberam rerum suarum admini-  
 strationem habens de rebus suis donat, do-  
 minium plenum, & idem ius, quod ipse ha-  
 bet, in donatarium transfert. Ast sunt casus, qui-  
 bus

C

bus donatarius dominium reuocabiliter saltem acquirit. Facta namque donatione 500. solidos excedente, eaque a Iudice in publicas tabulas non redacta, donatarius quidem dominus fit, verum non plene, cum a Iudice id, quod supra summam determinatam est, reuocetur: qua reuocatione facta restituere superfluum iubetur, reliqua quantitate, quæ intra legis terminos constituta est, in suo robore durante. *l. 35. §. 3. C. de don. l. 21. §. 1. ff. eod. Nou. 61. c. 1. Iul. Clarus in §. donat. qu. 17. n. 2.* Reuocantur etiam donationes inofficiosæ, h. e. quæ deminuunt legitimam eorum, quibus debetur, nempe liberis, parentibus, & certo casu fratribus *l. 1. 2. 3. 4. 7. de inoff. don. Finckelth. O. 60. Bronhorst. evart. cent. 3. af. 73.* Nec minus reuocabile saltem dominium penes eum est, qui omnia bona, vel magnam bonorum partem dono accepit ab eo, cui ante liberos non habenti postmodum liberi nascuntur. *l. 8. C. de reuoc. don. aut postea per subsequens matrimonium legitimantur Perez. ad t. C. de reuoc. don. etiam si ante donationem nati essent filii naturales, modo post donationem ipsam fuerint effecti legitimi matrimonio contracto. Bald. in l. 1. C. de inoff. don. Bocer. dec. 159. Couarruu. tom. 1. p. 2. c. 8. §. 2. rubr. de matrim.* Recte enim dicitur inesse conditio, si liberi nascantur, quibus natis voluntas ista cessat, &

§ (19) §

& potius illum velle, liberos post procreatos rem habere, nec, si de liberis cogitasset, donaturum fuisse, ratio pietatis dicitur. arg. l. 30. C. de fideic. l. 102. ff. de condit. Et demonstrat. adeoque liberis natis ipso iure resolvitur donatio & rei vindicatio competit. Zoesl. ad tit. de don. n. 106. Habn. ad VV. d. t. n. 7. Carpz. p. 2. c. 12. d. 37. 40. 41. Bocer. de don. c. 3. n. 110. Hanc ob causam reuertitur omne, quod donatum est, ad donatorem, d. l. 8. de reu. don. si nimirum quid superfit: quicquid tamen casu perit, aut consumptum est, restitutioni obnoxium esse, ratio iuris non patitur arg. l. 16. de don. int. vir. Et vx. Fructus quoque interim, dum nascuntur liberi, percepti non reuocantur, ex ratione, quod id tantum, quod donatum est, reuertatur; fructus autem medio tempore percepti nunquam fuerunt in dominio donantis, vt dici nequeant reuerti. Facit huc argumentum donationis inter coniuges, qua fructus industriales medio tempore percepti sunt irreuocabiliter donatarii l. 45. ff. de vsur. quia non minuunt substantiam vxoris, in cuius dominio nunquam fuerunt. Nec obest, quod rem a possessore auocatam fructus sequantur, secundum ea, quæ in tit. de R. V. traduntur, siquidem hoc de collectis non ex re propria sed aliena dicitur. Perez. d. l. n. 28.

C 2

§. II.

Quando res m. c. donata donatario traditur, ita vt statim eius fiat (quod in dubio præsumendum arg. l. 8. ff. de iur. dot. Donell. in Comm. J. C. c. 33. in fin.) comparat hic dominium, quod tamen reuocatur, vel ex sola pœnitentia per conditionem. l. 30 de m. c. don. aut vero ob conditionem non euenientem per actionem in rem l. 29. eod. vel etiam conditionem causa data, causa non secuta. l. 35. §. 3. eod. Donatario enim ante donatorem e vita discedente, videtur eo ipso reuocata donatio, vt habetur in fin. l. 29. de m. c. don. vid. Molin. de J. & J. tr. 2. Disp. 287. n. 2. Berlich. p. 2. dec. 284. Fachin. p. 5. c. 22. Donatio sub modo, vt rursus aliquid detur vel fiat, rem quidem donatarii facit, & dominium transfert, sed illud, si modus non impleatur, & donans non velit præscriptis verbis agere, vt modo satisfiat, reuocatur per conditionem. l. 3. C. de cond. ob caus. Bachou. ad Tr. Vol. 2. Disp. 19. th. 8.

Donationem omnium bonorum, tam præsentium quam futurorum, reuocabilem esse, plurimi Dd. tradunt, eam ob rationem, quod adimat liberam testandi facultatem. Licet namque hereditas nomen iuris sit, nihilque prohibeat, eum quoque testari, qui nihil plane in bonis ha-

§§(21)§§

habet. *l. 3. ff. ad L. Falc.* attamen qui nec habet, nec habere quicquam potest, qualis ille est, qui futura quoque donauit, ei sane testandi facultas competere nequit, arg. *l. 28. l. fin. de vulg. & pup. subst.* & heres non nisi aliquo lucro præsumitur adire velle hereditatem defuncti, §. 1. *I. ad L. Falc.* Accedit quod hereditas non pactis, sed testamento deferri debeat, *l. 5. C. de pact. conuent. tam sup. dot.* in quo plus cautionis & solennitatis adhibetur, estque vltima de bonis dispositio libera, & ad extremum vsque vitæ exitum reuocabilis, cum contractus statim inducant obligationem immutabilem. Denique quia huiusmodi pacto inducitur votum LL. improbatum captandæ mortis viuentis, *l. fin. de pact.* instarque prodigi videtur, qui profusa liberalitate omnia bona præsentia & futura sibi adimit, & vitæ subsidiis sese exuit, vt proinde exemplo prodigi nata non esset eius obligatio, *l. 1. ff. de curat. fur. l. 6. ff. de V. O.* Et hæc opinio in foro Sax. obtinet. Schneidevv. *ad §. 2. I. de don. n. 86. Fab. Cod. l. 8. tit. 34. d. 9. Carpz. p. 2. c. 12. d. 26. seqq. Id. 5. R. 65* Verum non dubitamus, quin opinio contraria in puncto iuris defendi possit, ita vt donatio talis irreuocabilis sit, modo ratio donationis inofficiosa non obstiterit, aut insinuationem factam non esse obiici possit. *l. 35. §. 4. 5. C. de don. l. 8. l. 15. C. de reu. don. l. 5. C.*

C 3

de

*de inoff. don. l. fin. C. quæ res pign. obl. poss. arg. l. 17.*  
 §. 1. *quæ in fraud. cred.* qui textus generaliter lo-  
 quuntur, non facta distinctione inter bona præ-  
 sentia & futura. iung. l. 3. §. 3. l. 9. §. 3. *de don. l. 3. C.*  
*eod. Gail. l. 2. O. u. n. 10.* Nam constat, sub uni-  
 uersali concessione dispositione uel bonorum, non  
 præsentia duntaxat, sed & futura omnia conti-  
 neri, quemadmodum conspicuum est in bono-  
 rum oppignoratione, quæ etiam post obuentu-  
 ra continet. *l. fin. quæ res pign.* ut multo magis  
 id obtinere debeat in contractu liberali, qualis est  
 donatio & legatum, quomodo grege legato, etiam  
 quæ post accedunt, ad legatarium pertinere con-  
 stat. *l. 21. ff. de leg. 1.* Facit, quod eadem militet ra-  
 tio quoad bona futura, cum & eorum dispositio  
 non sit minus libera, quam præsentium, sicuti &  
 ea recte venduntur & pignori subiiciuntur ut  
 dictum per *d. l. fin.* Non obstat, quod donatio  
 omnium bonorum constringat & auferat liberam  
 testandi facultatem; nequit etenim auferri libera  
 testandi facultas, sed hætenus ut, qui bona habet,  
 quacunque conuentione uel pacto, ne de iis di-  
 sponat, uel a dispositione semel facta recedat,  
 constringi non possit. Cæterum non videtur prohi-  
 bitum aliquid tale facere, quo per consequentiam  
 necessariam efficiatur, non ut proprie loquendo  
 libere facultas testandi tollatur, sed ut prorsus  
 te-

§§(23)§§

testandi facultas non sit, & nihil, de quo testetur, superfit. *Vaud. l. 1. var. qu. 21.* Quin & si quis particulatim quotidie erogando bona sua efficere potest, vt ei morituro nihil sit reliquum, de quo disponat, vt non offendatur regula illa iuris, nihil sane obstare videtur, quo minus vna largitione hoc efficiatur. Nec recte obiici potest, pacto hereditatem dari non posse: quia verum est, vbi pactum illud vice testamenti interpositum, non, si animo donandi. Neque in contrarium mouet, donationem hanc ideo improbari, quod inducat votum captandæ mortis, cum id non præsumatur, ex quo consentit is, de cuius bonis agitur, qui sane ad hanc donationem omnium bonorum veniens, videri non debet prodigus, quandoquidem talis non est ciuilitè, nisi cui interdictum est bonorum administratione, quam hic liberam habet: nec ita adigi debeat ad solutionem, vt postea egeat alimentis; & si vrgeri contigerit, profit illi rescriptum Diui Pii, & beneficium competentia, vt, in quantum facere possit, conueniatur. *l. 33. de don. Bachou. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 19. th. 5. lit. D. Bocer. de don. c. 3. n. 39. Harprecht. ad §. 2. I. de don. n. 115. seqq. vid. Carpz. p. 2. c. 12. d. 26. Hahn. ad VV. tit. de don. n. 5.*

§. 13.

Per solutionem transferri dominium, igno-  
 tum non est, si scilicet debitor sit dominus (a-  
 lias usufructuendi conditio saltem transfertur) &  
 rerum suarum administrationem habeat. Eo per-  
 tinet, quod non possit eius heres, quod solu-  
 tum est, reuocare, licet pro debito mancipia de-  
 derit, siue rem pro alia, *l. 10. de solut.* quoniam he-  
 res factum defuncti præstare debet. Imo & in  
 conditione indebiti transfertur dominium. Quia  
 vero quilibet soluens per errorem, ea conditio-  
 ne soluit, si debitum sit, quod soluitur: conditio-  
 ne cessante, & nullo debito existente, recte re-  
 uocat solutum, & conditione indebiti repetit:  
 cuius hic effectus est, ut, si quantitas soluta, tan-  
 tundem restituatur. *l. 7. l. 19. §. 2. de cond. ind. l. 3.*  
*C. eod. sine usuris l. 1. C. d. t. Clud. de Cond. ind.*  
*c. 10. n. 63.* aliquando etiam pretium, si nempe e-  
 iusmodi res sit fungibilis, cuius pretium variat.  
*l. 65. §. 6. de cond. indeb.* Sin species, ea in specie  
 cum fructibus & accessionibus deducta impen-  
 sa reddi debet, quando penes accipientem extat:  
 at quando non penes eum extat, & accipiens  
 ex eius alienatione factus est locupletior, vel res  
 pondere, numero, mensura constans soluta est,  
 æstimatio eius. *l. 26. §. 12. ff. de Cond. ind.* Quod  
 si res b. f. consumpta fuerit, frustra intentatur con-  
 dictio



§. (25) §.

dictio contra eum, apud quem nihil est rei alienae, nisi ex ea factus sit locupletior, quia rem extarre facit eius pretium. Perez. *ad tit. C. de cond. ind. n. 3.* Dn. Struu. *Synt. J. C. Ex. 18. th. 44.* Eadem ratio est, si mulier ob intercessionem. *l. 40. pr. de cond. ind.* pupillus sine tutoris autoritate stipulanti promissum soluerit, quia is hoc respectu natura non debet.

§. 14.

Contractu emtionis venditionis perfecte celebrato, & re a venditore tradita, dominium in emtorem, qui vel pretium soluit, vel cui fides de pretio habita est, plene transit, nisi causæ subsint, ex quibus reuocetur. Si enim contrahentes vi aut metu inducti sint, vt contractum hunc inirent, *l. 1. l. 8. l. 18. C. de resc. vend.* si pretium de quo conuenit, non solum probetur, *l. 11. C. de resc. vend.* si vel emtor vel venditor possit, docere læsionem ultra dimidium, *l. 2. d. t.* omnino id quod ita emtum venditum est, reuocari potest. Scotan. *D. 37. th. 5.* Interim, quamdiu nihil ex commemoratis obiicitur, emtor pro domino habetur, & rem tanquam suam possidet. Vnde si e. g. per remedium *l. 2. C. d. t.* venditio rescindatur, fructus ab emtore restituendi non sunt, nisi malit vsuras pretii petere, & fructus vicissim restituere arg. *d. l. 2. add. l. 2. §. 1. de in diem add. l. 2. de pact. int. emt. §. vend.* Fach. *l. 2. contr. 24.* Gomez. *var. res. 2. n. 24.*

D

§. 15.

Ius retractus legale. i. consuetudinarium (de conuentionali infra dicetur) efficit, vt dominium reuocabile saltem penes emtorem nouum sit. Singulas species iuris huius retractus explicare longum nimis foret; sufficiat paucis allegare, illud singulari iure tribui, vel propter dominium directum, vel propter creditum, vel propter vicinitatem, vel propter communionem, vel propter consanguinitatem, de quibus singulis late agunt Dn. Struu. *Ex. 23. th. 52. seqq.* Carpz. *p. 2. c. 31. 32.* Reinking. *tr. de iur. retract.* Tiraquell. & alii. Quando igitur prior dominus rem vendidit, seu speciem aut corpus in solutum dedit, possunt illi, quibus ex dictis causis retrahere permissum est, ab emtore, rei retractui obnoxia reuocare dominium. Reink. *d. tr. qu. 4.* Berlich. *p. 2. concl. 39. n. 55.* dummodo retrahentes id faciant, secundum mores communiter receptos, intra annum & diem, statim a facta venditione, licet res nondum tradita sit, computandum. Dn. Richter. *dec. 97. n. 141.* Carpz. *p. 2. c. 32. d. 3.* Gail. 2. *O. 19.* & idem pretium, de quo cum emtore initio ac vere conuenit, actu & rite offerant, eademque pacta contractui addita praestent. vid. Gail. *d. l. Sand. dec. Fris. 3. t. 5. d. 11.* Videtur enim sub hac conditione dominium emtor-

ri addictum esse, si nemo superueniat retracturus: qua existente, æquum est, vt ipse emtor rem restituat, cum fructibus pendentibus & perceptis; post actu oblatum & rite depositum pretium, & quæ contractui celebrando aut celebrato accesserunt. arg. l. 2. *C. de pact. int. emt. & vend.* Reinking. *de iur. retr. qu.* 8. Carpz. p. 2. c. 32. d. 7.

## §. 16.

Illi, quibus res particularis ex iusta causa s. titulo communis est, singuli domini rei istius sunt, & vnus æque ac alter re vtitur, omnia commoda percipit, & quilibet de re ista dicere potest, quod ad se iure dominii pertineat. Cum autem nemo cogi possit, vt in communiione perseveret, liberum quoque erit, maxime si causæ vrgeant, ex ea discedere, & petere, vt res separentur, & inter socios diuidantur. l. 1. l. 3. l. 12. ff. *comm. diu.* §. 3. *I. de obl. quæ ex qs. contr.* Quod ipsum arguit, dominium quod commune hæcenus habuerunt, non irreuocabiliter tale esse, sed non diutius subsistere, quam partes animum mutant, & separatim res possidere velint. Nec per hoc irreuocabile dominium fit, si pactum de stando in communiione perpetua interuenerit; huiusmodi enim pactum nullas habere vires manifestissimum est, ex l. 14. §. 2. *comm. diu.* l. 70. *pro soc.* cum sit contra substantiam dominii, in

arbitrio de re sua disponendi consistentis, non posse vnquam ad diuisionem prouocare, & rem suam sibi sigillatim habere. Et quamuis dicatur pacta seruanda esse, & quæ placuerunt custodiri debere. *l. 1. in pr. de pact.* hoc tamen accipiendum de iis, quæ non militant contra vtilitatem publicam, quale est hoc de perpetua communione, quippe ex qua facile oriri queunt dissensiones, & plerunque, quæ communia sunt, negligi solent. vid. *Gail. 2. O. 24. n. 2. Schilter ad ff. tit. de comm. diu. n. 90. in fin.* Neque præscriptio aut sententia iudicis, aut iuramentum additum contrarium efficiunt. vid. *Schilter. d. l.* Quid de rerum hæreditariarum adhuc communium dominio statuendum sit, facile ex dictis colligitur. Reuocatur communio, & commune inter partes dominium, quamprimum hæ ad diuisionem prouocauerint, & tenetur alter alteri fructus & commoda, quæ percepit, communicare *l. 19. l. 44. fam. ercisc. l. 9. C. eod.* & damna dolo, lata leuique culpa data resarcire *l. 25. §. 16. 18. l. 16. §. 4. l. 17. l. 44. §. 7. ff. l. 19. C. d. t.* nec non alter alteri impensas, si quas fecit, restituere. *l. 6. §. 2. l. 25. §. 15. l. 18. fam. ercisc. ibique Brunn. Hahn. ad VV. tit. fam. erc. Perez. ad C. d. t. n. 11.*

§. 17.

Heres adeundo hæreditatem obligatus est  
le-

§§ (29) 56

legatariis ad præstanda legata in testamento pure relicta, quorum dominium statim a morte testatoris ipso iure legatariis acquiritur. *l. 64. de furt. l. 80. de leg. 1.* vid. Carpz. *p. 3. c. 14. d. 23. & 28.* At si dies aut conditio addita sit, heres interim, dum existit, iure domini iis utitur, cautione de illis præstandis interposita *t. t. vi leg. s. fideic. caus. cau. Couarruu. var. res. l. 2. c. 14. n. 4. Gail. 2. O. 145.* Conditione siue die veniente, ad quem præstatio legati dilata est, heres tenetur præstare voluntatem defuncti, & transferre dominium in legatarios, qui deinde pleni domini euadunt. Non existente adjecta conditione, plenum & irrevocabile dominium retinet heres ob præsumtam testatoris mentem vid. *t. t. de cond. & demonstr.* Reuocat etiam heres dominium earum rerum, quæ per errorem facti, putans hereditatem omnibus oneribus suffecturam, ultra dodranteram dedit, instituta vindicatoria actione, si legatarius possideat. *l. 26. l. 73. §. ult. ad L. Falc. l. pen. C. eod.* non quas ex errore iuris soluit: nam præsumitur hic subesse donatio. *l. 53. de R. J. & sibi impu- tet, quod non consuluerit peritiores, vid. Brunn, ad l. 6. §. 2. it. ad l. 9. & ult. C. ad L. Falc. Franc. Barry de succ. t. 1. 4. n. 7.*

§. 18. De legatario notandum, quod & is quan-

D 3

do-

§§ (30) §§

doque rem reuocabiliter tantum suam faciat. Si enim testator legatum relinquit sub conditione potestatiua honesta, quæ negatiua est, scilicet in faciendo consistens, cautio Mutiana præstanda est de restituendo legato cum fructibus ei, ad quem, si contra conditionem factum fuerit, legatum rediturum est. *l. 1. pr. §. 1. l. 18. de cond. & dem. l. 76. §. 7. de leg. 2.* Quod ipsum & in legato sub modo obtinet. *l. 80. de cond. & dem. l. 19. de leg. 3.* contra adiectam enim conditionem faciente, aut modum non adimplente, reuocatur, quod hætenus tenuit.

§. 19.

Heres a testatore rogatus, vt hereditatem, aut partem, vel partem partis, in qua institutus, alteri restituat, verus est dominus hereditatis, & fructus post aditam hereditatem perceptos suos facit *l. 18. pr. §. 2. ad SC. Trebell. l. 44. §. 1. vers. sane pro fructul 63. §. 4. l. 27. §. 1. eod.* quia fructus post aditionem hereditatis percepti non hereditatis, sed bonorum sunt. *l. 18. ad. SC. Trebell.* &, quia heres interim est dominus, & possessor, pleno iure, ex testatoris iudicio & titulo, idcirco fructus facit suos, quippe qui dominum sequuntur arg. *l. ex diuerso §. 1. ff. de R. V.* quæ conclusio locum habet in fructibus naturalibus & ciuilibus, & pensionibus, mercedibus ac vilitatibus



§ (31) §

bus' omnibus perceptis ex rebus hereditariis. Peregrin. *tr. de fideicomm. art. 49. n. 20.* nisi mora facta sit, aut quis specialiter fuerit rogatus & fructus restituere. Et licet testator dixerit: omne quicquid ad heredem meam restituat: non tamen de fructibus videtur sensisse, sed de ipsis bonis hereditariis. Mantic. *de coniect. ult. vol. l. 2. t. 10. n. 7.* In rebus restituendis dolum duntaxat & latam culpam praestat *l. 22. §. 3. ad SC. Trebell.* ex ratione, quod in iis quae non nisi facto nostro ab altero quaeri possunt, nobis paullo remissioribus esse liceat, tanquam in re nostra, modo non sit propositum. Dn. Beier. *ad Schnobel. Disp. 18. th. 10.* Repetere potest impensas in conseruationem rerum hereditariarum factas. Fab. *in C. ad SC. Trebell.* Dominium autem, quod ita fiduciarius heres habet, saltem conditione in istum transfertur, qua eueniente, reuocatur, & directus iste vel fiduciarius heres hereditatem, aut rem ex hereditate fideicommissario restituit: vel re, quando res hereditarias tradit, aut a fideicommissario eas possideri permittit; vel verbis, si fiduciarius vel coram, vel per nuncium aut epistolam se restituere hereditatem significat *l. 37. ad SC. Treb.* Et non hereditatem solum eiusque partem, sed & eius accessiones & fructus ante aditam here-

§ (32) §

hereditatem perceptos reddit, quippe hereditatem augentes, & patrimonio defuncti quasi incorporatos. *l. 27. §. 1. l. 25. §. 1. de usur.* Alienatam rem in præiudicium fideicommissarii, restituere tenetur: cum alienatio sub conditione fiat, qua adueniente illa resoluitur, & ex eo tempore absque alia restitutione ipso iure dominium rei transit in fideicommissarium, cui deinde contra possidentem rei vindicatio competit, non obstante præscriptione. *l. 70. §. 1. ff. de leg. 2. l. ult. §. f. C. comm. diu. Carpz. p. 3. c. 8. d. 30.* Hinc est, quod fiduciarius heres de bonis fideicommissis subiectis inuentarium & libros rationum fideicommissario edere, quin & rationes eidem reddere obstrictus sit, nec non ad cautionem de præstando fideicommissio conditione eueniente. Qualia & similia onera, sc. de conseruatione bonorum fideicommissariorum, de reassumptione processuum defuncti &c. heredi fiduciario incumbunt, in viridi esse obseruantia, elegantibus responsis docet Hahn. *ad VV. ad SC. Trebell. n. 5. add. Ant. Faber. l. 6. Cod. t. 27. def. 25.* Magis dicta obtinent, si conditio fideicommissio expressè adiecta sit.

§. 20.

Fideicommissi familiæ dominium fiduciarius consequitur. arg. *l. 9. §. 1. qui §. a quib. manum.*



§§(33)§§

num. l. 45. §. 2. de leg. 2. l. f. §. 3. C. comm. de leg. l. 66.  
 de R. V. Knipschild. de fideicomm. famil. cas. u. n.  
 9. seqq. Carpz. p. 3. c. 8. d. 38. quod tamen ita ex natu-  
 ra illius fideicommissi restrictum, vt alienare rem  
 nequeat. Quamobrem ad conficiendum inuenta-  
 rium, & cautionem, se in familia eam relicturum,  
 non solum primus, verum & successores tenen-  
 tur. l. 69. §. pen. de leg. 2. Quæ cautio præstanda est,  
 quamuis nulla suspitionis causa existat aduersus  
 heredem: & quidem fideiussoribus idoneis, pro  
 possibilitate tamen eius, qui ad cautionis præsta-  
 tionem est obstrictus l. i. ff. vt leg. nom. l. 6. qui  
 satisd. cog. vid. l. 12. eod. ibique Glossa Bartol. &  
 Dd. Contra defuncti voluntatem alienans iure  
 suo cadit, atque proximus in familia rem statim  
 vindicare potest a quolibet possessore, qui do-  
 minium irreuocabiliter a fiduciario herede acqui-  
 rere non potuit. l. 77. §. 27. de leg. 2. l. 67. §. 3. eod.  
 l. fin. §. 2. C. comm. de leg. Id quod in tantum pro-  
 cedit, vt filius possit reuocare rem fideicommissi-  
 so obnoxiam a patre alienatam; Knipschild. d. tr.  
 c. u. n. 386. seqq. nisi iustæ sint exceptiones & causæ,  
 propter quas alienatio licita est, de quibus vid.  
 Sand. de probib. rer. alien. p. 3. cap. 8. n. 23. seqq.

§. 21.

Simili modo reuocabile quandoque domi-  
 nium in emphyteusi cernimus. Constituitur per  
 E hanc

hanc, iustis interuenientibus requisitis (ceu videre est apud Dn. Struu. *Synt. J. C. Ex. ii. th. 58. seqq.*) emphyteutæ ius aliquod in re dominio proximum, s. dominium vile, quod consistit in iure quamlibet commoditatem ac vilitatem ex emphyteutica re prouenientem percipiendi, *l. 1. pr. §. 1. si ag. vect. thesaurum etiam inuentum retinendi, Carpz. p. 2. c. 13. d. 6. Dn. Struu. Jurispr. Rom. Germ. l. 2. t. 12. th. 7.* proprietatem quodammodo rei habendi, eamque pro lubitu tractandi, & ad proprium vsum aptandi, arg. *l. 1. C. de iur. embph. imo & in alium mox cum, mox sine consensu domini pro varietate casuum transferendi l. vlt. C. d. t. l. 219. de V. S. l. 71. §. vlt. de leg. i. actionem aduersus quemuis possessorem, etiam dominum directum instituendi, l. 1. §. 1. si ager. vect. & ipsam rem cum omni causa vindicandi. d. text. add. tit. de R. V.* Ipsum tamen hoc dominium reuocatur, ac redit ad dominum emphyteuseos, si domino renunciationem admittenti ius suum cedat emphyteuta. Schilt. *Exerc. ad ff. 16, 88.* si dominus emphyteuseos debito tempore & modo possidens contra emphyteutam præscribat. *Carpz. p. 2. c. 38. d. 15.*

§. 22.

Dominium vasallo in re feudali, ex concessione domini feudi, competens, olim ita reuocabile erat;

§§ (35) §§

erat, vt dominus, qui concesserat, vasallo pro  
 lubitu auferre possit 1. *F. 1. §. 1. 2.* Sed postea ius  
 hoc introductum, vt secundum regularem feu-  
 di naturam vasallus feudum sine causa non a-  
 mitteret 1. *F. 1. 21. 7.* Rosenthal. *de Feud. c. 10. concl. 1.*  
*Gail. 2. O. 158.* Reuocat vero tum dominus feudi  
 ab ipso vasallo easdem ob causas, propter quas  
 emphyteusin; quibus accedit, quod dominus,  
 qui ignorauit conditionem personæ, cui feudum  
 concessit, feudum possit reuocare: tum agnati ab  
 alio, in quem vasallus transtulit feudum, ob causas  
 aliquas singulares. Ita si vasallus antiquum feu-  
 dum licite & consensu domini alienauerit, domi-  
 nium quidem in emtorem transfert, & dominium  
 ipsum facit rei feudalis: at nihilominus dominium  
 tale ab emtore vel iure delatæ successionis, vel iure  
 protimiseos retractus reuocari potest. Iure delatæ  
 successionis possunt reuocare proximi agnati, 2.  
*F. 39. 2. F. 26. §. Titius.* quippe quibus vi pri-  
 mæ inuestituræ iure proprio succedentibus præ-  
 iudicare nequit dominus consentiens, quoniam  
 contra primi concedentis inuestituram, in præ-  
 iudicium eorum, qui in ea sunt vocati, non pot-  
 est disponere: nec vasallus alienans, a quo agna-  
 tus causam non habet, h. e. mediante hoc in feu-  
 do non succedit. Hartm. *Pist. l. 2. qu. 5. & 6.* Non  
 tamen ante mortem alienatoris eiusque libero-

E 2

rum

rum, si quos habet, reuocatio hæc ab agnatis fieri potest. *d. §. Titius.* cum iis ius reuocandi non nisi ex inuestitura & concessione domini competat, quæ semper de successiuo ordine intelligenda, vt post mortem demum alienatoris, aliorumque proximiorum ad eos deuoluatur. *l. f. C. de V. S. l. 57. §. vlt. ad SC. Treb.* Hic casus mortis quamdiu non existit, emtor feudi interim domini instar illud possidet, omnia iura proprio nomine exercet, & re vitur, quæ mortuo autore restituenda venit cum omnibus fructibus perceptis, & a tempore L. C. etiam percipiendis arg. *l. 48. §. 1. ff. de A. R. D. l. 25. §. vlt. de usur. l. 22. de R. V. §. 3. l. de off. iud.* vt responso hanc sententiam firmat Dn. Struu. *Synt. J. F. Cap. XIII. apb. 17. n. 2.* Iure protimiseos feudum alienatum a possessore, viuo alienatore, intra annum, refuso pretio, reuocatur v. Richter. *d. 76. n. 75. seqq.* Rosenthal. *de feud. c. 9. concl. 90.* Ob susceptum Clericatum reuocatur feudum, & secundum ius feudale s. Longobardicum ad filios vel agnatos venit arg. *2. F. 21. §. 36. in fin.* Feudum de Camera, de cauena, Soldatæ habitationis, Guardix & Guastaldix & similia ex natura sua perpetua non sunt, adeoque dominium illorum reuocabile saltem est. de quibus singulis vid. Dn. Struu. *Synt. J. F. Cap. IV. apb. 18. 19.*

§ (37) §

§. 23.

Haecenus de dominio ex natura ipsius rei reuocabili. Videamus nunc, quomodo per pactum dominium reuocabile fiat: quod omnino procedere, nec per hoc substantiam domini immutari, ex superioribus constat. Praecipue vero notari merentur duo illa pacta, nempe addictionis in diem, & legis commissoriae, ambo in contractu emtionis venditionis adici solita. Additione in diem res ita venditur, vt liceat venditori meliorem conditionem, ab alio intra certum tempus oblatam, acceptare. *l. 1. ff. de in diem addict.* Fieri ea potest duobus modis ex distinctione Icti in *l. 2. d. t.* vel sub conditione suspensiva, vel resolutiua. Sub conditione suspensiva fit addictio, quando sub conditione emtio contrahitur, & hoc agitur, vt, nisi melior conditio oblata fuerit, emtio perficiatur: & sic contractus est conditionalis, ac nihil ad emtorem pertinet, & quia nedum ante diem impleta imperfecta est venditio, impedit, quo minus emtor fructus suos faciat, rem vindicet aut vsucipiat, cum rem non possideat. *l. 4. de in diem addict.* Sub conditione resolutiua fit, si reuera & pure emtio contrahitur, sed pacto adiecto hoc agitur, vt meliore conditione allata, ab emtione discedatur. Hoc modo emtio perfecta statim est, & dominium, vel (venditore non existente

E 3

do-

domino) vsucapiendi potestas interim transfer-  
 tur ad emtorem, ad quem fructus & accessiones  
 pertinent, periculum quoque, si res interierit. *l. 2.  
 de in diem add.* sed postea, oblata meliori condi-  
 tione, & priore nolente adicere id, quod alius  
 adicit, ad venditorem redit ipso iure *l. 41. de  
 R. V. conf. l. 19. de vsucap.* atque emtio pro non  
 facta habetur, *l. 1. de in diem add.* Vnde vendito-  
 ri rei vindicatio competit, arg. *d. l. 41.* & actio  
 venditi ratione praestationum personalium *l. 4.  
 §. 4. de in diem add.* quia contractus reducitur  
 ad non causam. Res itaque pignori esse desinit,  
 si emtor illam medio tempore oppignerauerit *l. 4.  
 §. 3. d. t.* & fructus perceptos emtor venditori re-  
 stituere tenetur *d. l. 4. §. 4. l. 16. eod.* Id quod ve-  
 rum, non modo cum tertius meliorem fe-  
 cerit conditionem, verum & si emtor ipse. *l. 6.  
 §. 1. d. t.* neque enim hoc casu emtio continu-  
 ata videtur, quoniam conditione allata me-  
 liori, ipsa resolvitur *l. 2. ibi. que sub conditione re-  
 soluitur. d. t.* at ubi emtor ipse tantundem soluit,  
 quantum tertius, melior conditio omnino allata  
 est. Ratio rationis est, quod, dum recessum ab  
 emtione, constituto nouo pretio, nouus etiam  
 fit celebratus contractus *l. 72 de contr. emt. Hahn.  
 ad VV. tit. de in diem add. n. 3. Zoes. d. t. n. 14. in  
 fin.* Restituendi vero sunt tam fructus extantes  
 quam

§(39)§

quam consumti per *l. 4. §. 4. l. 6. §. 16. de in diem add.* Nam cum contractus deducatur ad non contractum, ita vt non censeatur dominium rei a venditore abiisse, procul dubio res cum omni causa reuertetur: & vix admittendum, vt consumti non veniant restituendi, nisi ex iis locupletior factus fuerit emtor. Sicut enim omnes fructus interea temporis ad emtorem pertinent, non allata meliori conditione, sic merito allata meliori conditione, omnes ab eo abeunt: quo etiam inclinatur Hahn. *d. t. n. 3. in fin.* qui dicit, sine distinctione consumptos esse restituendos. Quemadmodum autem fructus vna cum re ad venditorem redeunt, ita rursus, quæ prior emtor medio tempore necessario probauerit erogata, ex fructibus retineri, vel, si non sufficiant, sibi a venditore solui actione venditi faciat, æquum est. *l. 16. de in diem add.* ibique Brunnem. Perez. *ad. t. C. de pact. int. emt. §. vend. n. 6. in fin.*

§. 24.

Pactum commissorium in venditione est receptissimum, licet in pignoribus prohibitum *l. 1. §. ult. C. de pact. pign. c. significasti X. de pignor. Neguzant. de pignor. p. 4. princ. 3.* Tiraquell. *de retr. conuent. §. 36. n. 121.* Dicitur venditio facta sub lege commissoria (quæ ideo lex dicitur, quia venditione adicitur in continenti,  
pro-

26(40)56  
proinde contractui inest, & eundem haud secus  
ac alias lex publica civium actiones reformat, tem-  
perat & restringit vid. Frantzk. *ad t. ff. de Leg.  
commiss. n. 2.*) quando res est vendita, vt res sit  
inempta, si certo tempore pretium non solvatur.  
*l. 2. de L. Commiss. l. 4. C. de pact. int. emt. & vend.*  
Vis huius pacti est, vt venditio contrahatur pu-  
re, & dominium translatum dicatur, *l. 2. in f. de  
L. Comm. emtor fructus interim percipiat, & suos  
faciat. l. 5. d. t.* Verum, si pactum committatur, siue  
pacto non pareatur h. e. pretium debito tempo-  
re ab emtore haud offeratur & solvatur, redit  
dominium ipso iure ad venditorem, *l. 1. C. de pact.  
int. emt.* (amissa quoque arrha. *l. 6. pr. de L. Comm.*  
vid. Dn. Struui. *Synt. J. C. Ex. 23. th. 23.* Dn. Lau-  
terb. *ad tit. de act. emt. §. 2. th. 10.*) & huic non tan-  
tum actio ex vendito *l. 4. pr. de L. Comm.* sed etiam  
rei vindicatio competit. *arg. l. vlt. verb. vindicari  
d. t. l. 4. C. de pact. int. emt.* Brunn. *ad. dd. l.* Quando  
igitur fundus inemptus redditur, tunc etiam fru-  
ctus interim percepti restituendi sunt: quia nihil  
penes eum residere oportet ex re, in qua fidem  
sefellit, nisi pretii partem dederit, quam amittit.  
*l. 4. l. 5. de L. Comm. l. 25. pr. de pet. hered. C. I. A.  
ad tit. de L. Commiss. th. 12.* Dn. Lauterb. *ibid.* vid.  
Bachov. *ad. Tr. p. 1. D. 28. th. 9. lit. D.* Quod si dies  
certus non sit additus, quaeritur, quo tempore  
emtor



§§ (41) §§

emtor in pœnam commissi incidat? Communis opinio est, contractum resolui, si emtor fuerit in mora soluendi, interpellatus a venditore. arg. l. 23. in f. d. V. O. ibique Cuiac. Omissio enim diei non officit pactorum effectui, cum varie huiusmodi pacta conficiantur, & sortiantur effectum, valeatque pactum, si res ita distracta sit, vt, si displicuisset, res sit inemta, etiam non addito die l. 3. de contr. emt.

§. 25.

Pactum de retrouendendo translationem dominii non impedire, satis perspicuum est: cum nec pactum commissorium hoc impediatur, licet potestate sua contractum dissoluatur. Iacob. Menoch. l. 1. Conf. 26. n. 3. seqq. Consistit pactum de retrouendendo in eo, quod venditori concessa sit potestas rem, cuius dominium in emtorem translatum est, restituito pretio redimendi l. 12. de P. V. l. 2. C. de pact. int. emt. c. 5. X. de emt. vend. c. 4. de pign. & inquitur vel ita, vt quodocumque liceat redimere, vel certo tempore: quod adiicitur, vel vt terminus a quo, v. g. uff 10. Jahr wiederkäufflich/post quod tempus facultas redimendi demum competit; vel vt terminus ad quem, v. g. binnen 10. Jahr/ quo elapso non amplius integrum est redimere. Carpz. p. 2. c. 1. d. 8. §. 5. Resp. 28. Ex eiusmodi pacto non ita resoluitur

F

con-

contractus, vt in duobus antecedentibus: nec, si pretium reddatur, dominium ipso iure absque noua traditione redit ad venditorem, etiam si verbis directis pactum sit initum: cum istud non contineat conditionem resolutiuam. Adhæc conuentio retrouendendi non tam prioris venditionis resolutio est, quam nouam venditionem vrget. Hinc emtor fructus interea perceptos irreuocabiliter suos facit, nec restituere tenetur, arg. l. 2. C. de pact. int. emt. & vend. quæ tantum loquitur de rei restitutione, a qua distant fructus. Nam sicuti b. f. possessor, ita & emtor interim, quoad res redimitur, est illius dominus, & fructus ex re sua perceptos suos facit & lucratur. l. 25. ff. de usur. Pignus interim constitutum per retrouenditionem non soluitur: siquidem non agitur de causæ annihilatione, sed potius, vt illo manente saluo, nec priore contractu resolutio, nouus in eatur secundum pactum adiectum. Accedit, quod emtori licitum sit rem interim alienare, nec alienatam reuocandi ius aliquod sit venditori, quippe cui tantum tribuitur ius in personam, non etiam in rem. Tenebitur tamen emtor, qui oneris est causa, illud luere, vel interesse prestare. Zæf. ad tit. de L. Comm. n. 23. Carpz. p. 2. c. 1. d. 16. Fructus tempore retractus pendentes cedunt venditori retrahenti, vna cum re, cuius pars sunt & acced-

§ (43) §

accessio. *l. 13. de act. emt.* ea ratione, quod oblatio pretio purificetur conditio, sub qua reuenditio debet celebrari, atque ita habetur, ac si venditio a principio fuisset celebrata. Quo facit *l. 2. C. de pact. int. emt.* in cuius fine dicitur, habendam esse rationem eorum, quæ post oblatam ex pacto quantitatem ex eo fundo ad aduersarium perueniunt: quod sc. illa sint restituenda venditori, ita, ut hoc emtori relinquatur, ut impensas in fundum colendum eo anno factas consequatur, non solum exceptione doli, sed & actione ex emto; quia fructus non intelliguntur, nisi deductis impensis. *l. 7. sol. matr.* Vid. Faber. *de Error. Pragm. dec. 10. err. 2.* De altero genere retractus conuentionalis, quando pacto committitur, ut, si res vendatur, alicui præ aliis, eo, quod alius solueret, pretio vendi debeat, *l. 75. de contr. emt. l. 122. §. 3. de V. O.* idem ferme dicendum, nisi quod saltem hoc locum habeat eo casu, quo res extraneo vendita, arg. *d. l. 75.* vid. Carpz. *p. 2. c. 3. d. 21. seqq.*

§. 26.

Quod si tempus adiciatur donationi, veluti, ut post annum res donata restituatur donatori, aut post mortem donatarii res ad donatorem reuertatur. *l. 3. C. de don. que sub mod.* clarum est, dominium donatarii non esse irrevocabile, sed

F 2

tem-

§(44) §

tempore elapso, ad quod translatum illud erat, extingui. vid. Carpz. 5. Resp. 61. Quin etiam potest tale adiici pactum, vt tertio restituatur. l. 3. C. de don. que sub. mod. ibique Brunn. Neque hoc inualidum est: nam vt pacta de retrouendendo valent, ita etiam pacta de retrodonando valebunt. Quis autem negabit, & eo casu donatarium dominium interim habere, donec tempus existat? Quare tali dominio adhuc durante, donatori non licebit intermedio tempore ante acceptationem tertii rem donatam reuocare. arg. l. 3. de seruis export. l. 1. & vlt. C. si mancip. ita fuer. alien. l. 3. qui sine manum. Zoef. ad tit. de don. n. 63. & seqq. Dn. Struu. Synt. J. C. Ex. 40. th. 20.

§. 27.

Pacto etiam effici potest, vt emphyteusis certo tempore finiatur, l. vlt. si ag. vectig. nec non feudum contra regularem eius naturam ob conuentionem ad certum temporis spacium durat. Quamdiu tempus hoc pacto adiectum non existit, domini sunt emphyteuta & vasallus: sed dominium hoc reuocabile est, & illo præterlapso redit ad eum, a quo venit. Et in genere potest per quoduis pactum, vel conditionem, aut tempus adiectum dominium effici reuocabile, dummodo rite & legitime absque fraude

ac

§§(45)§§

ac fallaciis cuncta peragantur, & substantia domini non prorsus immutetur.

§. 28.

Restat ut exponamus, culpam & delictum sæpe in causa esse, quo minus dominium perpetuum sit. Præclarum eius exemplum est in donatione. Perfectam equidem donationem inter vivos firmam illibatamque manere, generaliter sanxit Iustinianus. *l. ult. in pr. C. de reu. don.* nec reuocari ex sola pœnitentia *l. 3. d. t.* neque eo prætextu, quod dicat donator, in fraudem creditorum se donasse *l. 4. eod. in tantum*, ut ne quidem donatio rite facta autoritate rescripti Principis rescindatur *l. 5. C. de reu. don.* Cæterum sunt casus, quibus donationes perfectæ rescinduntur: & egimus de iis ex parte in superioribus. Vnicum hic recensebimus, quo reuocatur res donata a donatario, ob ingratitude[m] insignem, & talem, quæ sceleri affinis sit aut coniuncta. Licet enim donatio perfecta, & per eam dominium plene in donatarium translatum sit; nihil tamen reuocationem impedit, si superueniat causa, quæ ingratum donatarium probat. Ingratitudinis autem causæ enumerantur in *l. ult. C. de reu. don.* quæ a donatore liquido probari debent. *d. l. ult.* Interim, donec ingratitude[m] causa allegetur ac probetur, donatarius rem suam facit;

F 3

facit, eam recte vendit, donat, permutat, in dotem dat. l. 7. *C. de reu. don.* fructusque medio tempore lucratur, tum quia eos non percepit vt donatos, sed vt proprios, ex re sua collectos, l. 9. §. 1. *de don.* tum quia res reuertitur, vt nunc est, ita vt trahatur retro hæc reuocatio, non vt erat tempore donationis. Quod si a donatore ingratitude probata, & sententia a Iudice lata: restituere tenetur rem cum fructibus, qui extabant tempore donationis, cum vna donati censeantur; modo extant, non alienati, aut donatarius ex istorum alienatione factus sit locupletior, quales censeantur extare. Reuocabitur itaque res, vel implorato officio iudicis, vel conditione ex *d. l. vlt. Gorn. ez. Var. Rer. c. 4.* vid. late. *Tiraquell. ad l. 8. C. de reu. don.*

§. 29.

Emphyteuta dolo culpaue lata rem, in emphyteusim sibi concessam, insigniter reddens deteriorem, iure suo cadit, per text. in *Auth. qui rem. C. de SS. eccles.* qui textus de emphyteusi ecclesiastica agens propter identitatem rationis etiam ad emphyteusim civilem extenditur. *Hartm. Pistor. l. 1. qu. 28. n. 2. Mynsing. Cent. 6. O. 86.* Etiam si partem saltem deteriorem reddiderit, nihilominus fundo eum priuari, & dominium vtile ab eo reuocari, putat *Hartm. Pistor. d. n. 3.* Quod tamen



§§ (47) 58

men rectius negatur: nam pœna semper commensuranda delicto *l. i. de pœn. l. 22. C. eod.* Carpz. *p. 2. c. 38. d. 23.* Quando canonem in ecclesiastica emphyteusi intra biennium *c. vlt. X. de loc. cond.* in seculari intra triennium *l. 2. C. de iur. emphyt.* non soluit, emphyteuta priuatur emphyteusi, lege pœnam indicente cesationi canonis soluendi. Insigni enim damno afficit dominum emphyteuseos, dum se quodammodo dominum facere intendit, & pluris vsurpator est. Attamen vt effectus sequatur, necesse est, vt de facto constet, & dominus ius suum exerceat, siue voluntatem suam declaret, quod amplius concedere nolit emphyteusin propter non solutum canonem. vid. Hahn. *ad VV. tit. si ag. vect. n. 3.* Nec potest dominus emphyteuseos propria autoritate emphyteutam expellere, sed ordinarium admittere debet processum: vel coram se, si ipse iurisdictionem habeat, vel, si priuatus sit, coram iudice alias competente: emphyteusis enim non tribuit iurisdictionem. Klock. *tom. 1. conf. 10. n. 611. & conf. 49. n. 27. & seqq.* Quo facto, atque emphyteuta oblatione canonis moram non purgante, reuocatur ius ipsi competens, & ad dominum directum reuertitur. *c. vlt. verb. nisi celeri satisfactisfactione X. de loc. cond.* Emphyteusis etiam absque consensu domini alienata reuocatur *l. 3.*

*l. 3. in fin. C. de iur. empb. & quidem iure Sax. tum demum, quando vere per traditionem translata est. Carpz. p. 2. c. 38. d. 13. add. Dn. Moller. ad Const. Elect. 26. n. 16. p. 2. Coler. de process. execut. p. 2. c. 10. n. 198. § 1. dec. 16.*

## §. 30.

Denique reuocabile est dominium Vasalli, qui vel irrequisito domini consensu rem feudalem quocunque modo alienat, 2. F. 52. & 55. 2. F. 9. §. *donare* (quo casu alienatio non solum est inualida, sed etiam feudum, facta a vasallo, id scienter alienante, traditione, domino aperitur, *Zaf. de feud. part. 10. n. 72.* & pretium scienter feudum emens perdit, præterea notarius instrumentum desuper conficiens poena afficitur 2. F. 42. 44.) vel se ingratum gerit aduersus dominum aut alias se reddit indignum. Appellatur hoc delictum feloniam, & vel immediate in dominum committitur, vel in uxorem, filiam, sororem. *Rosenthal. de Feud. c. 6. concl. 17.* Ut autem feudo recte priuetur Vasallus, opus est causæ cognitione, & sententia condemnatoria, qua pronunciata, restituendum est feudum cum fructibus a tempore feloniam commissæ perceptis. Cum enim res ob causam data, si causa non secuta, vel conditione, sub qua tradita, non obseruata, repetatur,



§§(49)§§

tur sit restituenda cum fructibus etiam ante L. C. perceptis. *l. 38. de usur.* merito quoque feudum, quod sub expressa conditione præstandæ fidei conceditur, reddendum cum fructibus ex eo tempore, quo fides non præstita, & feloniam commissa, perceptis. *Christin. Dec. Belgic. Vol. 6. dec. 77. n. 40. Rosenthal. de Feud. c. 10. concl. 42. add. Dn. Struu. Synt. J. F. Cap. XV. aph. II. n. 4.*

§. 31.

Hæc sunt, quæ de dominio reuocabili dicere instituiimus. Plura eam in rem proferre possemus, sed sufficiat potissima allegasse, ne Dissertationis modum transgressi videamur. Nos hic breuitati ac tempori studentes, finem imponimus, & vt lector beneuolus æquiboni- que cuncta consulat, impense ro- gamus.

S. D. G.

PRAESSES

M

G

SVR-

55 (50) 55



**S**VRGE tuos referens, tollit  
 quos ardua virtus,  
 Maiores, magna & quem  
 colit aula Patrem.  
 Promittunt oculi, pulchrique mo-  
 destia vultus,  
 Nil modicum: felix sis modo,  
 sisque diu.

*Gratulabundus  
 scrib.*

**PRAESES.**

**Na-**

¶ ( 51 ) ¶

**N** Atales, pietas, doctrina, mo-  
destia Nostrum  
IACOBI passim, castaque mens,  
celebrant.

cum voto prosperitatis omnigenæ  
adscrib. hæc

Guil. Hieronymus Bruckner D.  
& P. P.

---

**N**o virtutes dudum sub pecto-  
re, IACOBS,  
Nominibus claræ tot coiere  
tuo.

Ex omnique choro doctrina, mo-  
destia possent

Laudanti segetem materiam-  
que dare.

Ast

571  
RS ( 52 ) SE


Alit PATRIS obtutu sum nunc de-  
fixus in uno,  
Gaudia cui sobolis parturit ista  
decus.  
Interfit fatis felicibus ILLE suo-  
rum,  
Proleque eat seclis dein redeat.  
que sua.  
Sic non deficiet venturo tempo-  
re ramus  
Aureus, atque eadem virga me-  
talla dabit.

*Nobilissimo Dn. Doctorando, Affini  
multum honoratissimo, de arena  
publica pro summis in utroque  
Iure honoribus gratulatus f.*

Ioh. Iac. Müllerus, D.  
Moral. & Polit. Prof. iam  
facult. suæ Decanus.

RS ( 0 ) SE





*Jena, Diss., 1706*

ULB Halle

3

005 360 722









DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
**DOMINIO RE-  
VOCABILI**

QUAM  
DIVINA ANNVENTE GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

*P. 32,*  
**GVILIELMO HENRICO**

DUCE SAXONIAE, IVLIAE, CLIVIAE AC MONTIVM  
ANGARIAE WESTPHALIAEQVE ET RELIQA  
EX DECRETO ILLUSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE  
IN HAC ALMA SALANA  
PRAESIDE

**DN. IO. PHILIPPO SLEVOGTIO**

CONSILIARIO SAXONICO, ET ANTECESSORE, FACVLTATIS  
IVRIDICAE ET SCABINATVS SENIORE, NEC NON ILLIVS  
H. T. DECANO, CVRIAE PROVINCIALIS ASSESSORE  
PRO LICENTIA

SVMOS IN VTROQVE IVRE HONORES AC PRIVILEGIA  
DOCTORALIA RITE ET LEGITIME IMPETRANDI  
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI  
SVBMITTIT

**IO. GOTTLIEB IACOBS**

GOTHANVS  
AD DIEM MARTII ANNO MDCCVI.  
IENAE ; LITTERIS WERTHERIANIS.

